



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

Epistola Ampliss Et CL. V. Domini Bernardi De Pvteo V. I. Doctoris Illvstris.
simi Principis Electoris Irevirensis, necnon Serenissimorum Archiducum
Belgij Principum Consilarij, Ad Ev MDEM CL. V. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

horum magis studiorum est, visurus velut in Astræ speculo, quæ rerum inter homines controversarum lure munita veritas.

*Quis color, & quod sit cause genus, atque ubi summa
Quæstio, quæ veniant diversa parte sagittæ.*

Benè igitur adhuc videmus, audimus Virum, qui præluce Academiæ huic pergit, & benè de humano genere mereri. Præluces ipse, Clarissime Amice, simulque munus ac personam tanti Viri, panè nomen sustinens, VVEYMSIVS VVAMESII. Hujus evulgas scripta, cum tua possis: ut sic quidem pari pietate, ac modestiâ uti videaris; tua premens, aliena promens. Tua poscimus, VVAMESII plura & plura à te expectamus: quæ & ipsa novis laboribus quodammodo tua facis. Vale, Vive, & ne umquam moriaris, concede saltem doctissimis filiis tuis MICHAELI, PETRO & IVSTO, ut parenti impendant operâ, quam tua pietas Avunculo persolvit. Lovani in Arce, 111. Eid. Iulias, ∞. 16c. XVIIII.

EPISTOLA AMPLISS. ET CL. V. DOMINI

BERNARDI DE PVTEO

V. I. DOCTORIS ILLVSTRIS.

simi Principis Electoris Trevirensis, necnon Serenissimorum
Archiducum Belgij Principum Consiliarij,

AD EVMDem CL. V. STEPH. VVEYMSIVM,

I. V. D.

CLARISSIME ET CONSVLTISIME VIR, Literas Claritudinis tuæ recepimus, unâ cum altero Tomo Responsorum Domini IOANNIS VVAMESII quondam Iuris consultissimi, & in florentissima Lovaniensi Academia, dum viveret, Antecessoris primarij ac primum quidem Claritudini Tuæ gratulor; quod à Serenissimo Principe ac Domino, D. FERDINANDO Archiepiscopo, & Electore Colonienfi, utriusque Bavariæ Duce, &c. Domino meo Clementissimo tam clementer audita fuerit in salutatione ac manuum exosculatione, insuperque benignissimo responso Serenissimæ suæ Celsitudinis, in spem certam erecta consequendi eius, quod ex usu vel occasione, vel Claritudo tua, vel eius filij aliquando appetere volent. De quo Claritudo tua nil dubitare debet, cum propria hæc sit Serenissimæ suæ Celsitudinis inter multas & magnas virtutes tanto Principe dignas, promissorum tenacem, & de Republica benè meritorum honore ac promotione sollicitum esse. Gratias deinde ago Claritudini tuæ, quod mihi copiam alterius Tomi Responsorum D. VVAMESII miserit, quem pro ratione temporis perlegi, eundemque stylum, eruditionem, argumentorum copiam & exactissimum iudicium (quæ ex priore Tomo iam anteluxerunt) gaudens & lætus intellexi. ut enim ille D. VVAMESIVS vivens oraculum penè fuit totius Belgij, & vicina Germania inferioris: ita tunc quidem elucubrationes illius paucissimis vel solis clientibus usui fuere; sed nunc Claritudinis tuæ sedulâ operâ & diligentia fit, ut etiam post fata toti Orbi Christiano multo amplius proficiant ac prosint; ac proinde verè dici possit, ipsi contigisse studio Claritudinis Tuæ, quod de Samfone refertur, quod moriens plures inimicorum occiderit quam vivens. Nam Clarissimus hic Vir VVAMESIVS plures iam mortuus editione hac posthuma docet atque instruit, quam in vita existens docere vel instruere cogitavit. Neque verò quisquam tam parum in Iurisprudencia aut foro versatus est, vel ad culmen illius tam propè pervenit, quin plurimum utilitatis & voluptatis ex lectione ejusmodi Responsorum percipiat, cum omnia ex media penè Republica oblata, quotidiana, magnique momenti negotia in illis tam accurato iudicio sint discussa & examinata, ut nemo ab ijs nisi doctior discedere possit. Nemo interim est, qui non plurimum quoque debeat Claritudini Tuæ de communicatis his & publicatis responsis, præsertim quod etiam redacta sint in ordinem certum (qui Indicis vice esse potest) & singulis

Kkk 4

præposit.

preposita sit compendiosa series, quod dubio procul absque magno labore & incommodo rei familiaris fieri non potuisse facile crediderit, quicumque norit quantis occupationibus Claritudo Tua in lectionibus publicis, & clientum multiplicatis consultationibus, magna laude distinctur. Verum pertinax eius studium, & quod horas suas avarissime servet, nec aliquid facilitate sibi eripi, aut negligentia excidere patiatur, & publica commoda privatis libenter praeferat, omnes istas difficultates dispulerunt, & vicerunt. Ostendit sane isto suo labore Claritudo Tua eximium pietatis suae sensum. Cum enim alias fides & recordatio meritorum & amicitia plerumque post finis benemerentis evanescant, quando nulla exprobratio amplius timeri, aut novum aliquod beneficium ab eodem sperari potest, Claritudo tamen Tua aliud re ipsa probat, & gratum suum animum erga D. VVAMESIVM avunculum suum ante tot annos defunctum hoc opere testatissimum facit. Ut enim ultimum malorum est, ex vivorum numero exire antequam moriaris, ita beneficiorum extremum est, iam mortuis dare, ut rursus vivere incipiant. Quod Claritudo Tua D. VVAMESIO monumentis felicissimi illius ingenij iam publicatis abunde praestat, quae utinam adhuc multis annis pietate ista sua & labore ad commodum rei publicae fruatur. Valeat Claritudo Tua quam diutissime cum filijs charissimis. Coloniae Agrippinae, 17. Maij, 1618.

AMPLISSIMI
ET CONSULTISSIMI VIRI
D. PETRI ROOSE.
tunc Serenissimorum Principum Belgij in Concilio
Brabantiae Consiliarij, & Patroni fiscalis; post
Concilij secretioris Praesidis & à consilij
Status &c.

C A R M E N.



VALIS discreta primùm caligine noctis,
Moxque repercusso fulgure sol oritur:
Et postquam tetrico viduata est terra marito
Vestitur primùm gramine, dein violis:
Sic tua VVAMESI mœsto post funera mundo,
Alternis redeunt scripta voluminibus.
Sed quantum impuro praestat lux altera Phœbo,
Tantum, aut plus, debent scripta priora novis:
Quorum materies, nostris tritissima chartis,
Pragmatico longè gratius edit opus.
Tota tamen Latij sic spirant iure Senatus,
Roma suum ut civem dicere jure queat.
Quin ego, Responsa hæc ausim componere priscis,
Qualia vulgarunt, Servius, aut Labeo,
Paulus, Marcellus, vel Catus Papinianus,
Et si quæ triplici sint celebrata foro.
Non iras aut verba locant, sed nescia flecti
Contemnunt aurum, & stulta supercilia
Pectoris elati: sub quo nutantia scripta
Iurisprudentes ambitiosa vocant.

Post